



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Caput VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)



captivare se minimè possunt, ut puncta meditationis ordine ac sigillatim considerent, sed ab uno in aliud, saltando quasi, discurrunt, absque eo, quod quidquam cum iudicio & maturitate expendant. Hi similes omnino sunt illis, qui lauto accumbentes convivio, singula attingunt fercula, neque tamen ex illis quid manducant. Quæ causa est, cur famelici omnino remaneant.

Complures hic alii aperiri possent defectus. Verùm, præterquam quod isti sint potiores, quilibet in seipso facillime poterit illos, in quos frequentius incidet, advertere, & juxta instructionem & monita Magistri, quicum hac in materia sapissimè communicandum est, emendare.

## CAPUT VI.

*Methodus meditandi, & se in materiis tam sensibilibus, quam spiritualibus dilatandi.*

**F**Ratres nostri meditationem inchoaturi suaviter in memoriam revocabunt materiam & puncta, quæ præparaverint, illorumque propriam, vivam ac facilem concipere nitentur repræsentationem. Ante omnia vero advertendum ipsis est, omnia illa, quæ meditationis possunt suppeditare materiam, aut corporalia esse & sensibilia, aut spiritualia & invisibilia. Mystera Incarnationis, Nativitatis & Circumcisionis Salvatoris nostri, sicut & illius miracula, vita, mors, & passio, nec non & vi-

*Duo genera materialium meditationis.*



ta Sanctorum, cœlum, infernus & similia argumenta sunt sensibilia, quorum proinde considerationi haud parum inservit imaginatio. Virtutes autem, virtutes, monita perfectionis, sententia: sacrae Scripturae, perfectiones divinae argumenta sunt spiritualia & à sensibus remota, quorum proinde in consideratione plus agit ratio quam imaginatio. Tametsi etiam ordinariè in materiis sensibilibus circumstantia aliquæ purè spirituales, & in spiritualibus inveniantur circumstantia sensibiles, quæ ipsæ seorsim acceptæ suppeditare meditationis queant materiam. E. g. in mysterio Nativitatis Domini nostri, quod argumentum est corporeum, potest quis insistere præcisè considerando ingenti Dei erga nos amoris, quo filium suum unigenitum nobis dedit; atq; ista meditatio erit purè intellectualis, quæ nihilominus occasione argumenti corporei elicitur. Similiter circa virtutem obedientia, quæ materia est spiritualis, potest quis præcisè meditari, quantam in agendo promptitudinem verus obediens exhibere debeat, quæ meditatio est corporea in argumento spiritu. II, eo quod representatio veri obedientis ad omnia exequenda jussa parati ac prompti omninò sensibilis est & imaginaria: quasi videlicet illum oculis cerneremus auscultantem cum affectu dicta sui superioris, currentem cum gaudio ad locum obedientia exequenda destinatum, & magnâ cum diligentia opus imperatum exequentem.

Qui ergo de materia quapiam corporali me-

*Sic Deus  
dilexit  
mundū, ut  
filium suū  
unigenitū  
daret.  
Ioan. 3 18.*

*Quomodo  
repraesentanda*

D

qui-



*fit mate-  
ria coram  
poralis,*

quidem, quantum fieri poterit, suaviter tamen & sine violentia, repræsentare aliquam totius mysterii ideam cum omnibus circumstantiis, loci, temporis & personarum. Deum intuebitur factum infantem, exiguo super fœno in præsepio, in medio animalium, B. Virgine & sancto Josepho assistente, repositum, à pastoribus adoratum, præ frigore trementem, patientem, plorantem, & suorum principia dolorum æterno Patri suo, pro nostra salute offerentem.

*Qualem  
conceptum  
formare  
quis de-  
beat de  
materia  
purè spi-  
rituali,*

Illi verò, qui rem quampiam meditari voluerint spiritualem, illius intellectualem in animo conceptum sibi efformabunt. E. g. si meditationem instituunt de aliqua virtute, aut egregiâ quadam atque insigni veritate aut sententia, illius sibi ideam efformabunt, ut bonæ, pulcherrimæ, Deo gratissimæ hominique ut lissimæ. Si è contrario de vitio aut errore peruersi alicujus placiti mundani meditari cogitent, ideam sibi efformabunt oppositam; rei videlicet infamis, defectuosæ, & coram Deo abominabilis, animæque suæ quam maximè noxiæ. Quod si cui forte id visum fuerit difficilius, nullam ille sibi inferre debet violentiam, ut comprehendat, multo minus opere ipso ut exequatur, quia fortassis sensim sine sensu ex seipso addiscet absque ulla industria aut reflexione ad illa, quæ hic annotamus, præcepta, quæ potius observationes sunt, quas in seipsis piæ animæ in oratione experiuntur, quàm artis præcepta, ad quæ illos absolutè adstringere oporteat. Præterquam quod ista repræsentatio necessaria non est, nisi in quantum ad spiritus & animi recollectionem con-

fer-



servandam juvat, quod si quis aliâ præstare viâ queat, parùm intererit.

Omnino tamen expedit Novitiis, ut imaginariè meditentur, saltem per aliquod temporis spatium, initio, dum huic sancto exercitio studere incipiunt. Et licet nonnulli concipere omnino nihil possint, nisi modo quodam crassiori & omnino confuso, imò etiam non rarò immisceant alias omnino dissentaneas & alienas imagines, quas ipsis phantasia efformat, nihilominus imperfectâ hac repræsentatione sint contenti necesse est, suamque nihilo secius prosequantur orationem, quæ eò minus non erit fructuosa. Illi è contrario, qui imaginationis sunt adeo vivæ, adeoque fortis, ut hæc illis omnes rerum propositarum, etiam particulares, circumstantias ita ad vivum repræsentet, quasi coràm illas intuerentur, ac discernere non solùm personas, verùm etiam vultum, colorem, situationem, motus & similia; illi, inquam, ut vivacitatem illam moderentur, allaborare debent, alioquin extremis illusionum ac delirii periculis se exponerent.

Omnino autem indifferens est, res illas, quas quis sibi repræsentarit, vel ut propinquas repræsentare, vel ut à se remotas, intra sive extra se. Sunt etenim, qui plus inde capiunt fructus, si locum ipsum, ubi res, super quibus meditantur, contingere, sibi repræsentent, atque ad ipsum cogitatione accedant. Alii illas quasi ad semetipsos adducunt, & in proximo sibi repræsentant. Alii etiam intra semetipsos illas concludunt, & alii è contra se rebus ipsis, de quibus meditantur, includunt.

D 2

Omnes

*Uſus ima-  
ginationis.*



Omnes isti modi boni sunt, & uilibet proinde illum, quem sibi faciliorem magisq; naturalem atque ad sensus in tranquillitate, Angelico huic exercitio comprimis necessariâ, continendos efficacem iudicaverit, sequi liceat.

Quod si quis fortassis etiam experiretur, sibi expedire, ut sibi imaginetur quasi in ipsa Salvatoris nostri aut sancti alicujus oraret societate hocq; sibi suis omnibus tranquillandis cogitationibus, cordique suo in attentione ac debito conservando respectu satis esse, ille poterit huic sese impendere exercitio.

Verùm ea, quæ hæcenus diximus, omnia non nisi meditationis sunt principia. Eapropter nunc ea, quæ in progressu quis tenere ac quomodo se dilatare queat, exponamus.

*Modus se dilatandi in meditatione.*

*Quid sit  
in oratio-  
ne se dila-  
tare.*

**D**ilatatio nihil est aliud, quàm inventio plurimum rationum aut veritatum, quibus intellectus instruat, illuminetur & convincatur, ad eò ut sicuti in Rhetorices schola docemur certos locos, qui sunt quasi fontes & scaturigines rationum, quibus orator quidvis Auditoribus valeat persuadere, sic in hac Rhetorica mystica doceamur certa capita, quorum considerationi nos oporteat insistere, ut ita nobis ipsis id quod intendimus persuadeamus.

Quia verò, uti supra meminimus, argumenta meditationum aut corpora sunt aut spiritualia sive intellectualia, si quis argumentum sibi proposuerit corporeum v. g. unum è mysteriis vitæ aut passionis Salvatoris nostri, sive actionem aliquam virtuosam



sam cujuscumque sancti, aut quid simile, hic poterit expendere :

1. Historiam, qualiter videlicet in generali res gesta fuerit.

2. Circumstantias loci & temporis.

3. Circumstantias & qualitates personarum.

4. Ea, quæ durante actione illa dicta fuerint, sive dici potuerint.

5. Affectus, quos ille, actionem qui elicit, habere potuerit.

6. In quem finem actionem illam direxerit.

7. Quinam ex illa effectus profluxerint.

8. Qualiter nos actionem illam aut praxin imitemur, aut illius ab imitatione deficiamus.

9. Quem inde nos fructum haurire conveniat.

Demum ut quis melius intelligat & comprehendat hanc doctrinam, à qua non parùm dependet profectus, aut illius in oratione decrementum, formulam aliquam, ceu exemplum, hic subijciemus, si prius adverterimus, quod si illud, quod nostræ præfiximus meditationi, argumentum nullam habet cum aliquo expunctis istis proportionem, omittendum illud erit, ad aliud ut transeat; è contra verò si unum aliquod fovendæ meditationi visum fuerit esse satis, illi insistendum erit, quamdiu aliquem in ipso gustum experiemur.

Si quis igitur meditari voluerit, quomodo *Exempli dilatationis circa materiam sensibilem.*  
Salvator noster Jesus Christus semetipsum B. V. Mariæ sicut & sancto Josepho submiserit, considerabit.

D 3

1. Qua-



*Historia.* 1. Qualiter divinus ille amabilissimusque puer simplex erat, & ad omnia illorum imperata obediens, illa etiam, non secus, ac si Deus non esset, sollicitè omnino præveniens.

*Tempus & locus.* 2. Circumstantias *temporis & loci*, siquidem illis non in tenera dumtaxat, sed etiam in ætate maturiori, viginti quinque videlicet atque etiam triginta annorum, dicto obediens extitit, idque non domi solummodo suæ, verum etiam in publico & quovis in loco.

*Persona.* 3. Circumstantias *personarum*, est etenim homo Deus, qui obedit puris omnino creaturis, quæ proinde etsi sanctissimæ, infinites tamen illo erant inferiores.

*Verba.* 4. Sermones illius ac verba submissione semper ac summâ suavitate plenissima, quasi dixisset aliquando: *non veni ministrari, sed ministrare. Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Similiter etiam considerabis, qualiter vice versâ aliquando B. Virgo & sanctus Joseph totaliter hærebant attoniti, ubi cogitatione aut etiam mutuâ sermocinatione re- colebant, qualiter Deum sibi haberent sub- jectum.

*Sensus.* 5. Particulares Dei filii affectus, quasi aliquando diceret: meo saltem exemplo homines, qui aliquando in me credituri sunt, ac potissimum Religiosi, discant esse simplices, humiles & obedientes.

*Finis.* 6. Finem, propter quem Dei Filius hisce suis obedivit parentibus, ut nimirum nostram ita superbiam condemnaret, quæ aliquando adeo increvit, ut superioribus quandoque vix finat



finat nos subijci, æqualibus verò aut inferioribus omnino nos obedire veter.

7. Effectus humilem istam submissionem *Effectus.* atque obedientiam simplicissimam consecuti sunt isti :

1. Ineffabilis in æternum Patrem redundans gloria.

2. Innumeri virtutis ejusdem actus à plurimis sanctis Religiosis exerciti.

3. Additus Religioso cuius virtutem istam imitandi affectus.

8. Tandem supra vitam suam reflexionem *Profectus.* faciet, ut quantum à perfecta Salvatoris sui, hac in virtute, imitatione absit, intelligat, simulque quam firmum virtutis illius exercendæ propositum elicere debeat, considerabit.

*Quomodo quis in materiis purè spiritua-  
libus dilatare se debeat.*

**Q**UOD si verò meditatio instituatür circa materiam purè spiritualem, ut v: g. circa aliquod è beneficiis divinis, aut circa quamvis virtutem, considerare oportebit,

1. Rei ipsius naturam sive essentiam, id est. quidnam ipsa sit propriè in semetipsa considerata.

2. Nomina, quibus insignitur, si illa consideratione dignum quid comprehendant.

3. Causas quæ illam producant.

4. Proprietates illius & effectus.

5. Finem, quem spectat.

Deinde peculiarius considerare quis poterit?

6. Exempla, quæ rei illius habemus in vita



Christi aut quænam circa illam ex verbis illius elicere possimus documenta.

7. Considerare nos oportebit, quomodo illa hæctenus nos observaverimus.

8. Qualiter circa illa impofterum affectos nos esse conveniat.

9. Modum & media ex illis desideratum fructum eliciendi.

Res patebit hoc exemplo.

*Natura  
beneficii.*

Meditaturus v. g. beneficium vocationis tuæ ad statum Religiosum considerabis :

1. Beneficii illius naturam, seu quid sit in seipso consideratum, esse videlicet miserarum animarum nostrarum à certissimo interitu ereptionem, ac liberationem, & collocationem illarum in loco securitatis, ubi habituræ non sint, nisi bona exempla, atque alia sufficientissima salutis suæ media.

*Nomina.*

2. Nomina, quibus ipsum insignitur; illud videlicet secundum baptismum, mortem civilem, omnibus rebus factam renunciationem, atque ad vitam alteram meliorem resurrectionem &c. appellari consuevisse.

*Causa.*

3. Causas illius; esse videlicet Deum, qui in nobis pro infinita misericordia sua excitat hanc mundo renunciandi voluntatem, atque esse idcirco insigne munus ab ingenti illius erga nos amore profectum, sine ullis nostris meritis, cum illum nos è contra sæpiùs malitiosissimè offenderimus, atque ita ad nos justissimè deserendos & perditioni relinquendos provocaverimus.

4. Pro-



4. Proprietates illius & effectus, qui consistunt in eo, quod nos inducat ad mundi delicias contemnendas, & pœnitentiam magnis animis amplexandam, mentes nostras ad cœlestia erigat, omnium terrenorum oblivionem in illas inducat, omnemque in animis nostris parentum, amicorum, consanguineorumque memoriam aboleat & obliteret, nosque Deo sic intimè conjungat &c.

*Proprietates & effectus.*

5. Finem illius, quem respicit, qui in eo situs est, ut simus sancti, magisque vivamus cœlo, quam terræ, continuo & sine intermissione mortificantes sensus ac passiones nostras, & corda nostra à minimis etiam imperfectionibus ita perfectè emundantes, ut Deo evadamus, quantum fieri potest, simillimi.

*Finis.*

6. Ea, quæ fecit Christus, fortassis hic locum non habent, quia ipse mundo se non subduxit, uti facere solent Religiosi, nisi spatio quadraginta dierum, quos in deserto transegit; attamen omnibus, perfectionem assequi qui voluerint, mundum ut relinquere, suavit, dicens: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Veni separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam. Et qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.*

*Luc. 14.*

*35.*

*Matth. 10.*

*35. & 37.*

7. Deinde considerare nos oportebit, quid hætenus de tanto tamque inæstimabili senserimus beneficio; num studuerimus Dei



nos ad sanctum statum illum vocantis correspondere voluntati, ac tandem, quem ex illis considerationibus elicere nos oporteat fructum, quæque nobis illum consequendi media sint assumenda.

*Industria  
se dilata-  
tandi.*

Exempla ista, unà cum formulis in fine tractatus hujus subjiciendis, Fratribus nostris intellectum aperient, atque illis super re quolibet se facilius extendendi modum suggerent. Atque ut continuandi discursum industriæ illis suppetant, poterunt quandoque alloqui semetipsos, aut animam suam in particulari, aliàs ad Deum aut unam è sacratissimis personis vivificæ Trinitatis, quandoque etiam ad Salvatorem nostrum Christum Jesum, aliàs quoque ad B. V. Mariam aut sanctos Angelos, potissimum tutelarem suum, discursus suos dirigent, quasi certas quasdam ipsis proponendo quæstiones. Imò etiam ad ipsas aliquando creaturas insensibiles, quasi ipsas interrogando, & ab ipsis responsum ferendo, convertere sese poterunt, ad eum modum, quem poterunt observare in tractatu primo in discursibus illis, quos ibi efformavimus super Novitiorum vocazione, sicut & super mundi miseriis, & sicut etiam advertent in tractatu subsequenti in illis, quæ ibi proponemus, exercitiis compunctionis.

*Tract. 11.*

*Tract. 5.*

Utilissimum etiam, maximeque illis erit proficuum, si quandoque quasi in præsentia Dei se constituent, velut reos coram suo Judice, à quo aut absolutionis sententiam expectent aut condemnationis, qua in dispositione loquentur cum Deo magno cum metu,  
hu-



humilitate & reverentia. Aliàs se præsentabunt, quasi ægros coram pleno charitatis Medico, cui vulnere sua ac morbos aperiant. Quandoque etiam veluti pauperes ac mendicos coram divite quopiam pleno compassionis. Nonnunquam etiam tanquam discipulos coram suo Magistro, à quo illuminari petant & instrui. Subinde tanquam amantissimi filii Patrem suum cœlestem filiali cum amore, respectus ac fiduciæ pleno, alloquentur. Aliquando etiam loquentur ei tanquam sincerissimo optimoque amico, cui dubia sua proponent, ut illius reportent consilium, sua exponant desideria, ut obtineant auxilium, suas aperient necessitates, ut consequantur levamen, hæcque omnia quivis faciet secundum interiores suas, quas in se experitur quisque, dispositiones. In omnibus enim præceptis illis, quæ hic nos statuimus, id unum semper supponimus, Spiritum videlicet sanctum primum esse ac principalem divini istius exercitii Magistrum: ideoq; omnia exercitia nostra illum solum spectare debent, ut removeamus obstacula, quæ illum impedire possent, quominus in nobis illa lumina, illos affectus, illosq; quos nobis communicare voluerit, affectus producat.

## CAPUT VII.

*Methodus in quibusdam in particulari materiis observanda.*

**T**Ametsi quacumque de re institui possit meditatio, cum nulla in mundo sit creatura,